







1
11
12
13
14
15
16
17
18



1712.

11. Ludovig, Joannes Petrus : Differentias juris Romani
et Germanici in tabulis, testamentaria et legibus
- 12^a : Ludovig, Joannes Petrus : Differentias juris Romani
et Germanici in Tabulis, Testamentaria et Legibus.
3 Bände . 1712; 1716
- 13 Ludovig, Joannes Petrus : Fideicommissum et Legitimum
causis in fideicommissis fructuaris ... respondebit
- 14 Ludovig, Joannes Petrus : Differentias juris Romani
et Germanici in materiis tabulis ... respondebit
15. Ludovig, Joannes Petrus : Juris Romani et Germanici
Differentias ... respondebit
16. Ludovig, Joannes Petrus : De procuratore et curatore
notarii
17. Ludovig, Joannes Petrus : Juris Romani et Germanici
Differentias ... respondebit.
- 18^a : Ludovici, Jac. Fridericus : De expensis litis actori
a seo submissis. 45 Bände . 1712, 1739 - 1744

19^{a. 7^c} Ludovici, Imperatoris Friderici : De legitimacione
et causam. 2 Sept.

20^{a. 7^c} Ludovici, Imperatoris Friderici : De restitutione rei
furtivae 3 Sept. 1712 & 1747.

21^{a. 7^c} Ludovici, Imperatoris Friderici : De actuarii praesentia
in acta testandi.

22^{a. 6. c} Ludovici, Im. Friderici : De anticipacione in
foro praesertim Saxonico.

PRESENTATA IN UNIVERSITATE MEDICA PRAGENSIS

VERITATE PRACTICAE
DIVERSIONIBUS
PER REVELLEN-
DUM QUAERENTIA,

IN PRAESENTIA
SACRAE

RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
AC CENSURAE
DN. FRIDERICI WILHELMI
PRINCIPIS RURISSII, MARCHIONIS BRANDENBURGICIS,

IN REGIA ACEREBUSINA
SACRAE FACULTATIS MEDICAE CONSENSU
AC FRATERNITATE

DN. ANTONII TOMASII
MEDICI, M.D.

PR. JOHANNIS SALLII
MEDICI, M.D.

ANNO MDCCLXII
MENSE FEBRUARIO
DIE XXIIII
ANNO DOMINI MDCCLXII
ANNO REGNI
ANNO AETATIS

ANNO AETATIS
ANNO DOMINI MDCCLXII
ANNO REGNI
ANNO AETATIS



[Faint, illegible handwriting on aged paper]



DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICO-PRACTICA
DE
**VERITATE PRACTICA DIVERSIONIS
VETERVM PER REVELLEN-
TIA AC DERIVANTIA,**
EORVMQVE
**OPERANDI RATIONE
MECHANICA.**


QUAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
'SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO
PRINCIPE PORVSSIAE MARCHIONE BRANDENB.
&c. &c

IN REGIA FRIDERICIANA
Gratiosissimo Facultatis Medicae Consensu,
PRO-PRÆSIDE
DN. ANDR. OTTOM. GOELICKE
MED. DOCTORE ET PROF. PVBL. EXTRAORDINARIO,
PRO GRADV DOCTORALI,
SVMMISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS, INSIGNIBVS AC
PRIVILEGIIS MORE MAJORVM SOLENNI OBTINENDIS
Ad Diem XIV. Octobr. M. DCC. XII.
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBJICIET,
ANDREAS SCHOPPEL,
Corona-Transylvanus.

HALÆ MAGDEBVRGICAE,
Typis JOHANNIS CHRISTIANI ZAHNII, Acad. Typogr.

DISSERTATIO IN ACOUSMATICIS MEDICIS
DE
VERITATE
ET
CAUSA
DIVERSIONIS
VITAE PER REVELLEN
TIA AD DECRETANTIA
OPERARI RATIONE
MECHANICA
LECTORIS
DR. FRIDERICUS WILHELMUS
PRINCIPALIS
GILBERTUS
DR. ANTONIUS
PRO GRADU DOCTORALIS





PRÆFAMEN.



Omnēs in corpore humano actiones, quas naturales seu vitales appellabant veteres, fieri a mechanica organorum corporeorum structura & conformatione varia, indeque procedente diversa motuum administratione, uti nemo temere in dubium vocaverit; Ita magnus talium principiorum secundum eminentiam mechanicorum dictorum, utut insigni evidentia & claritate sese commendantium, abusus est, si talia phaenomena, quorum *scindi rationes* ad exactas mechanicas regulas legesque non statim adcommodari sese patiuntur, vel in dubium revocentur vel plane negentur, quasi nempe *negatio modi* statim etiam *negationem ipsius rei* induceret, vel conceptus nostri rebus, quae concipiuntur vel non concipiuntur, absolutam quandam necessitatem imponerent ita existendi vel non existendi, sicuti ab intellectu nostro concipiuntur. Quemadmodum autem non difficile foret, ea, quae diximus, numerosis exemplis confirmare: Ita chartae & temporis lucran-

di gratia sufficere unius tantum mentionem iniecit. Notum est, quod Practici antiqui Remediis *Diver-
t nribus*, quae *revellendo* ac *derivando* agere ab ipsis credebantur, non vulgarem adscripserint efficaciam; Etiam si enim genuinam operandi rationem talium remedium profundissime ignorarent, rem tamen ipsam, tanquam ingenti exemplorum numero obviam ignorare non poterant, imo potius in uniuersa sua praxi sollicitate ad eam respiciebant: Recentiorum vero nonnulli, cum doctrinam istam veterum cum mechanismo motus progressivi sanguinis reliquorumque humorum non statim conciliare possent, in alterum extremum prolapsi uniuersum negotium exploserunt & *ab ignorantia modi ad negationem ipsius rei* processerunt, ubi tamen nullum certius nullumque efficacius occurrit argumentum ipsos confundendi & euidenter tandem convincendi, quam quod neglecta & repudiata omni, quam de hisce rebus habebant, operosa theoria, & viso in primis talium remedium felici successu, ipsimet tandem auctores & suafores eorundem evaserint. Ut vero tanto clariorem lucem uniuersae doctrinae accendamus, operae pretium fore iudicavimus, si solenni hoc specimine non solum realem existentiam & practicam veritatem *Revellentium* ac *derivantium*, quam clinica praxis solerti observatori innumeris plane exemplis facile subministrabit, confirmemus, sed etiam, ut tanto minus ulli dubitationi locus relinquatur, eorundem genuinam operandi rationem ac *veluti modum fiendi* mechanicum commonstremus: Faxit modo DEUS, ut omnia feliciter cedant!

§. I.



Non speramus, quenquam a nobis exactam, adiequantam omnibusque artis Logicae requisitis congruam siue descriptionem, siue definitionem tam *Reuellentium*, quam *Derivantium* expectaturum; Ingenuae enim consistemus, eam ex scriptis veterum suppeditari non posse, quippe qui magis ad rem ipsam quam proponendi modum attendebant, demonstrationem totius negotii potius per exemplorum Practicorum, quam argumentorum multorum inductionem suscipientes: Interim tamen rem ipsam succincte non minus, quam pro temporum ratione satis clare hinc inde adumbrarunt. Hippocrates universam *DIVERSIONIS* naturam explicaturus ita loquitur: *Reuellenda ea sunt, quae, quo non oportet, vergunt; sui autem, quoniam conveniunt, tum viam struere decet, quamnam in partem singula tendant.* Verum quidem est, quod si ad rigorem praeceptorum dialecticorum haec verba exigantur, iustae definitionis requisita nullibi adpareant, imo ne quidem *revulsio* naturae satisfactum esse videtur, ut difficile omnino futurum sit, *Diversio* negotium inde hariolari: Interim tamen legitimum ejus usum verbis istis graphice delineatum esse, satis liquido adparet.

§. II.

Iisdem obscuritatibus laborant, quae Galenus, si-
 dus alioquin dogmatum Hippocraticorum interpretis &
 assecla, de *Revulsio* ac *Derivatio* negotio docet, di-
 cens, influentium adhuc humorum retractionem *revul-*
sionemque, obsidentium vero jam locum, *derivationem*
 esse medelam. Paulo clarius, licet adhuc dum imperfe-
 cte, ad mentem tamen Galeni, rem istam describit sub-
 sequentes Medici, in eo tamen convenientes omnes,
 quod *revulsio* respiciat, humores adhuc dum in partem
 A 3 quan-

quandam illapuros, *derivatio* vero intendat eosdem in partem quandam jam illapfos avocare, inque vicinam vel lateralem invitare. Ex quibus quidem Sectatorum Galeni monimentis clare constat, ipsos ingentem usum tam *Revellentibus* quam *Derivantibus* adscripsisse, naturam vero eorundem clare & distincte nunquam explicuisse.

§. III.

Nobis itaque incumberet quidem hunc veterum defectum quomocumque emendare, clarioremque lucem universae doctrinae foenerari, si theoriam harum rerum ex professo profequi intentio nostra ferret; Quia vero, ut themati nostro satisfaciamus, magis hac vice solliciti erimus circa practicam *Revellentium* ac *Derivantium* veritatem ex numerosis clinicis observationibus adstruendam, simulque genuinam eorundem operandi rationem ostendendam: Hinc neminem nobis probro daturum existimamus, si sepositis tantisper hisce speculationibus theoreticis, per plurimorum potius exemplorum practitorum, quae tanto minus iustae dubitationi exposita fore credo, inductionem, ipsius rei existentiam veritatemque practicam demonstravero.

§. IV.

Illud tamen silentio praetermittere nefas foret, fundamentum, cui tota haec *Revellentium* ac *Derivantium* doctrina innititur, consistere in adfluxu humorum p. n. aucto: Non enim solummodo culpabant scholae quantitatem & qualitatem humorum vitiosam, sed & frequentissime accusabant motum eorundem p. n. auctum, ita nempe, ut nulla amplius servata proportione inter adfluxum & refluxum, impetuosius simul atque copiosius ad certam quandam partem humorum contingeret adfluxus, parcius vero refluxus, unde decubitus, stagnatio vel ipsa tandem stasis sequeretur, exemplo tumorum inflammatoriorum, pro quibus expediendis, adfluxu im-

mode-

moderatiorē compescendo ac refrænando, & refluxu proportionaliter promouendo dicta ista remediõrum genera, *revulsionem* nempe ac *derivationem* commendabant, & *revulsionem* quidem, ut humores in parte remotiore adhuc hærentes, inque motu adhucdum constituti, ad remotiora vel plane opposita loca auerterentur; *Derivationem* vero, ut iidem humores, partibus adfectis jam actu inhaerentes aut saltem proxime imminentes, auerterentur. Unde jam ex dictis consequitur, *Revulsionem* esse talem artis medicæ actum, cujus ope humores in adfluxu & motu adhucdum constituti a partibus & locis incompetentibus avocantur & aueruntur, & ad alia magis congrua, dissita vel plane opposita loca & partes alliciuntur & invitantur: *Derivationem* vero ejusmodi actum esse, cujus ministerio humores, parti adfectæ vel proxime imminentes vel actu inhaerentes aueruntur & declinantur.

§. V.

Docent vero exempla præctica, quõrum prolixam feriem postea adducemus, *revellentia* vel agere in universam corporis peripheriam vel particulare tantum aliquod membrum adficere. Quod *universalia* magis *revellentia* attinet, universam corporis peripheriam adficiunt, illa vel revellunt a partibus superioribus ad inferiores, vel ab inferioribus ad superiores, vel a partibus exterioribus versus interiores vel ab interioribus versus exteriores. Illa vero, quæ magis particulariter agunt, specialia tantum loca & partes corporis adficiunt, suumque revulsorium produciunt effectum, vel a parte corporis antica versus posticam vel vice versa, vel a sinistris versus dextram vel vice versa.

§. VI.

Ad exempla *revulsionum a partibus superioribus* versus *inferiores* reducimus merito *Pediluvia*, quæ in mitigandis cephalalgis ab orgasmo & regurgitatione san-

gui-

guinis, in obstructionibus mensium, haemorrhoidum
aliisque humorum translationibus versus superiora fa-
ctis non contemnendum praestant auxilium. Quor-
um merito etiam referimus venaesecionem in pedibus
adminiftrandam, utpote quae pariter exundantiae sangui-
nis circa superiorem corporis regionem factae efficaci-
ter revellendae subservit. Quod enim missio illa fan-
guinis in artubus inferioribus specificè adornata, mirifi-
ca polleat energia in revocandis mensibus mulierum
suppreffis, exemplo puellae jam a libi confirmavimus, quae
post diurnam mensium suppressionem tandem in vo-
mitum cruentum incidit. Meretur etiam cum attentio-
ne legi observatio, quam habent Ephemerid. N. C. An-
no 1. Dec. 1. Obs. XCV. de nobili quadam foemina, quae
talem menstruum sanguinis vomitum patiebatur, quod
rigente bruma, mensibus fluentibus iter faciendo, refri-
gerationem enormiorem partium inferiorum incurreret,
indeque obstructionem mensium passa fuerit, quam tamen
balnea ex emollientibus triduo, antequam menses flue-
re debebant, commendata, venaesecione in talo simul
administrata, junctoque fumo tabaci per instrumentum
Anglicum inflato efficaciter solverunt mensesque ad natu-
rales vias redacti sunt, novo iterum documento, tam ve-
naesecionem quam pediluvia mirifica pollere efficacia
revellendi humoresque ad locum ordinarium redu-
cendi.

§. VII.

Proinde adplausum omni modo meretur anti-
quum illud sed simul verissimum testimonium Actuarii
ita scribentis: *In pedibus sanguinem mittimus communi
quidem ratione, ut humores, qui sursum ad partes praeci-
puas vergunt, retrahamus revellamusque, verum privo-
tim in foeminis, quibus menses supprimuntur, aut minus,
quam necesse est, purgantur, aut consimilis aliquis adse-
ctus sanguinis evacuationem urget.*

§. VIII.

§. VIII.

Addendum reor singulare *revulsiois* genus, quod consistit in retrahenda materia variolarum versus pedes, ne in facie copiosius erumpendo venustati, cujus inprimis in filiabus suis matres studiosissimae sunt, adferant praesudicium: Unde non ea est quaestio, an potestate artis variolarum fomes ita supprimi & subjugari queat, ut nunquam in ulla corporis parte erumpat in aërum; Neque hic est quaestio de frigidis & repellentibus, faciei exterius adplicandis, utpote quae pariter eruptionem variolarum teste experientia, intercipiunt & impediunt: Sed huc potissimum omnis quaestiois cardo tendit, an variolarum materiam a facie, tanquam venustatis fede ita liceat revellere ad pedes tanquam partes ignobiliores, ut in facie nullae aut paucissimae saltem erumpant variolae? Ubi iterum Practicorum observatione abunde testantur, talia quidem experimenta sic satis interdum effectui & eventui respondere, & formae quidem praestantiae hoc medio optime consuli, nonnunquam tamen diuturnam pedum debilitatem, nedum graviora quandoque mala sequi aut relinqui.

§. IX.

Nonnulli itaque ad faciem a variolarum insultibus vel multitudine saltem earundem praeservandam aut defendendam, materiamque aliorum revellendam jubent pedes post praecedentem diligentem frictionem lacti bubulo calido immergere, vel fomentis calidioribus, plantis pedum admotis vel vapore tantum ex decoctis herbarum emollientium simulque aperientium adsurgente aliquantisper fovere, idque desiderato cum effectu. Alii, quibus etiam accedit Clar. Sydenhamnius, allium concisum, linteo duplicato involutum, plantis pedum adplicandum commendant, idque singulis diebus renovandum esse suadent, credentes, hoc medio pariter variolarum materiam a capite ad pedes invitari. Cujus effectus,

B

ctus,

ctus, si succedat, ratio quaerenda tantum est in fibrarum paulo rigidiorum relaxatione & emollitione, quo ipso majorem aptitudinem accipiunt variolarum materiam copiosius admittendi, atque ita partes corporis superiores, praesertim faciem ab iisdem praeservandi. An vero hoc *revulsions* genus ita facile imitandum sit, admodum dubito: Quia praeter manifestam simulque valde diuturnam pedum debilitatem, quam relinquit, simul quoque metuendum, ne infidum hoc & fallax experimentum non solum non ex voto medentis semper succedat, sed & interdum majori in copia variolae in facie prorumpant, sicuti in tractat. de morbill. ac variol. hist. 15 *Isbrandus de Diemerbroeck* duobus exemplis confirmat.

§ X.

Sicuti vero ex haecenus dictis clarum est, continere *revulsiones* a partibus C. H. superioribus versus inferiores; Ita similiter efficaces & praesentissimi plane effectus, licet contrarii eventus, *revulsiones* sunt a partibus & regionibus corporis inferioribus versus superiores. Ita Venaesectione in brachio instituta tempore menstruum actu fluentium in quibusdam mulieribus non solummodo debitam hujus fluxus continuationem cito suspendit, verum etiam ita pertinaciter sufflaminavit, ut diuturna subsistentia presso pede fuerit insequuta, quorsum in primis exemplum a *Foresio* allegatum spectat; Imo ante paucas adhuc septimanas Chirurgus quidam Urbis hujus mihi Praesidi sincere confessus est, se electivae illi venaesectioni in pede vel brachio ejusdemque singulari praerogativae diu reluctatum esse neque fidem eidem adhibere voluisse; Tandem sola curiositate ductum aliquoties periculum ejus rei fecisse in puellis menstruum fluxu actu laborantibus, & constanter ipsum deprehendisse, venaesectione in superioribus admi-

nistra

nistrata fluxum mensium interdum subito suppressum, interdum vero ita pedetentim remisisse, ut intra paucas tandem horas subfiterit.

§. XI.

Similiter quotidiana praxis numerosam talium exemplorum se. iem atque segetem subministrat, ubi ejusmodi *revulsiones* contingere solent a partibus exterioribus versus interiores: Quorsum inprimis pertinent omnia illa funesta confectaria, quae intempestivam *repulsionem* humorum, a centro ad peripheriam expulso- rum & ad excretionem atque totalem e corpore pro- scriptionem destinatarum sequi observantur. Ne enim longius abeamus, evidens statim harum rerum exemplum nobis subministrat communis illa observatio, qua illi, qui voluntariis laboriosioribus motibus corpus suum exercent, indeque largioribus sudoribus persudantur, statim levem quandam horrorem totam corporis peri- pheriam percurfantem cutemque in exiguos veluti monticulos elevantem, cutis asserinae instar, experiuntur, si subito nimis corpus suum ex loco calidiori in fri- gidiusculum, v. g. cellam transferant: Quod idem phaenomenon iis quoque familiare esse solet, qui sudoribus persufi indusum humiditatis madidum cum sicciori sed simul frigidiori permutant. Quae etiam ratio est, quare medici Practici in morbis, per halituosam tran- spirationem solvendis frequentem indusorum permuta- tionem tam sollicitè soleant dissuadere: Tales enim haud absimilis occupare videtur sensus horroris, qualem in le- viori febriculae cujusdam insultu alias experiuntur.

§. XII.

Neque operosiore indiget indagine ad perquirendum, undenam ejusmodi horroris, febriculam haud ob- scure aemulantis phaenomenon cum reliquis accidenti- bus dependeat? Siquidem ad eas tantum mutationes attendatur, quae ejusmodi horrorem, totum quasi cor- pus, inprimis partes periphericas percurfantem conco- mitari

mitari observantur: Contingere enim manifestam ac plane sensualem totius contractionem, colligere non in-
epte licet ex pallore faciei, repentina partium subsidencia,
duritie ac tensione ipsi quoque tactui manifeste occurrente,
sudoris vel madoris subitanea evanescentia, in cuius locum
succedit quaedam veluti ariditas cum pilorum erectione,
papillarum subcutanearum in exiguas quasi pyramides
vel monticulos elevatione, scroti corrugatione & admodum
sensuali partium refrigeratione: Quae phaenomena pleraque
etiam in horrore febrili observari, neminem illorum latere
potest, qui febricitantem tertianarium paroxysmo horro-
ris detentum unquam contemplati sunt: Quis vero etiam cun-
ctarum istarum mutationum rationes aliunde deduxerit, quam
a virtute elastica & tono intensiore partium peripheri-
carum fibroso membranolarum earundemque contractione,
quam sequuntur pallor, frigus, subsidencia, tensio, duri-
ties, ariditas loco madoris, pilorum erectio, scroti sensibi-
lis versus abdomen retractio & contractio cum reliqua
accidentium caetera: Quae omnia gravius adhuc inva-
lescunt in actualibus horroribus imo rigoribus febrilibus,
ubi ad vehementem totius corporis succussionem res
devenire solet.

§. XIII.

Evidentiora adhuc sunt in commoda atque sub-
inde damna, quae ex habituosa insensibilis transpiratio-
nis per habitum cutis porosum absolvendae quacunque
imminutione vel suppressione in oeconomiam animale[m]
redundant: Sicuti enim jugis & imperturbatus huius
perspirationis successus ad vitae & sanitatis tum conser-
vationem tum restitutionem absolute necessarius est, ut
salva sanitate eadem diu carere nequeamus: Ita si ean-
dem quocunque modo labefactari contingat, nihil certius
est, quam pristinum sanitatis statum non modo gra-
viter periclitari, sed etiam in enormiores ataxias con-
ci-

ei: Quia perspiratione libera vel inhibita vel plane suppressa, necesse est oriri hinc inde humorum restagnationes imo actuales stases, unde deinde inflammationes, varii generis tumores, putredines &c. procedunt.

§. XIV.

Impeditur vero liberum hoc perspirandi negotium variis de causis, quarum tamen pleraeque in eo conveniunt, quod tonum partium fibroso-cutanearum adficient, uti sunt aër frigidior, balnea frigida, potus gelidus calentibus visceribus immoderatus adfusus, dormitio sub dio vel corpore detecto noctibus aestivis &c. Vulgare est experimentum, quod natatio in aqua frigida post violentius corporis exercitium admodum quidem jucunda sed simul damnosissima sit, exemplo Alexandri Macedonum Regis, quem fervidissimi diei tempore, pulvere simul ac sudore perfusum liquor fluminis Cydni invitaverat, ut calidum adhuc corpus ablueret. Rex quam primum in flumen descenderat, subito statim horrore artus rigere coeperunt, pallor deinde suffusus est & totum propemodum corpus vitalis calor reliquit: Adeo ut expiranti similem ministri manu exciperent, nec satis compotem mentis in tabernaculum deferrent.

§. XV.

Aura frigidiuscula praecipue austrina post violentius corporis exercitium quanta saepe excitavit incommoda? Dormitio noctibus aestivis & denudato quidem corpore, admissio sub auroram aëre frigidiusculo, quanta damna habuit pedissequa? Quem nostram latet, milites Germanos in Hungaria ob hanc subitanam aëris interdiu fervidissimi noctu vero frigidioris vicissitudinem, suam invenire coemiterium? Novi febricitantem, qui paroxylmo aestus detentus, refrigerandi corporis ergo in cellam profundiore ingressus fuerat, sed exanimis fere totus rigidus ac stupidus in lectum deportatus, calore fragulorum revocari vix potuit. Alius similiter

militer febricitans, febre nempe ardente laborans, spha-
celum manuum perpessus est, quod eas in aquam geli-
dam imprudenter immiserit, ibidemque diu retinuerit.
Ephemerides N. C. narrant exemplum medici cuiusdam,
qui ex aëre frigidiusculo refocillandi ergo importunius
admisso vomitum pulmonis sibi accersivit: Aegros enim
sub aestu solis vehementiore visitans & hinc sudore pro-
pemodum diffluens auram frigidiorum captabat, spiritus,
ut putabat, exhaustos ita restauraturus, qui post aliquot
horas maximum primum horrorem perensit, quem de-
inde dolores lateris sinistri punctioii exceperunt, ita
tandem exacerbati, ut in pleuritidem & hac tempeste
non discussa in vomitum desinerent. Et nondum o-
mnium memoria excidisse existimo, quod studiosus quidam
ante aliquot annos, qui cerevisiae gelidae mensuram u-
nico haustu absorptam calenti corpori infuderat, inde-
que in hydropem incurabilem lapsus fuerat, post ali-
quot mensium decursum praematura sibi fata accersive-
rit. Imo & diurnam moram in puteo frigido duobus
operariis paralyin pedum induxisse, Ephemerides N. C.
similiter commemorant.

§. XVI.

Ex eodem fundamento procedit experimentum
vulgi, compescendi haemorrhagiam narium nummo ar-
genteo, quem aqua frigida madidam vel fronti vel na-
chae applicant, vel linteamina aqua gelida madentia fron-
ti vel toti collo admovent, sicque haemorrhagiam inter-
dum feliciter quidem supprimunt, at certe non sine me-
tu graviorum malorum inde procedentium; Unde hoc
Diversiois genus non temere imitandum esse censeo,
quamvis interea veritatem facti egregie demonstret, quod
pro scopo meo hac vice sufficit.

§. XVII.

Quis praeterea temere adprobaverit reliquos vul-
gi modos supprimendi easdem narium haemorrhagias,
dum nempe linteamina aqua frigida vel plane aceto im-
buta

buta seroto & testiculis circumvolvunt, vel mammis ad-
movent vel regioni hypochondrii dextri, ubi viscus il-
lud sanguinolentum, nempe hepar, situm suum habet, ea-
dem adplicant: Quis enim neget, ob sanguinem ibi co-
piosius coacervatum primum congestionem, deinde
resstagnationem tandemque stasim indeque inflammatio-
nem, & hac non soluta corruptionem, nempe suppara-
toriam vel plane putredinosam vel alia funesta conse-
ctaria procedere? Singula haec vulgi experimenta etiam
si sine praesentaneo staseos & hinc metuendorum alio-
rum malorum periculo in usum vocari nequeant: Pro-
bant tamen interea fortissimam ipsius Revulsionis effica-
ciam, qua nempe unum vel alterum viscus, cui frigidita-
tis sensus ope liquorum actu frigidorum inductus fuit,
vehementer constringitur, sicque allapsus & transitus ad
& per talem partem efficaciter praepeditur.

§. XVIII.

Aequae funesta, nisi plane funestiora consecraria
inducit incautus & imprudens usus *adstringentium* & *re-
pellentium*, corpori vel extrinsecus vel intrinsecus adhi-
bitorum; Est enim valde malitiosa imo pene flagitiosa me-
dicamentorum nonnullorum temeritas nemini facile excu-
sanda, perversis talibus adstrictoriis artificii actiones oe-
conomiae animalis jugiter alioquin succedentes non so-
lum confundere sed & ita graviter perturbare, ut ingen-
tes inde strages excitentur. Intellego autem adstringen-
tium nomine, quorsum etiam *repellentia*, *defendentia* &
Indurantia tanquam species pertinent, talia medicamen-
ta, quae virtutem motricem partium fibroso membrano-
sarum adficiunt, cujus nempe beneficio non solum fi-
brillae tenuissimae, ex quibus partes istae contextae sunt,
& vascula sanguinea per illas disseminata arte constringun-
tur, sed & pori seu interstitia illis interjecta artiora
redduntur, ut humores per tales partes fluere soliti &
accessu & transitu ordinario exclusi necessario aliorum
regurgitare cogantur. Id enim legibus mechanico-hy-
draulicis admodum est conveniens, ut, si humoris cujus-
dam

Am adfluxus & transfluxus ad & per locum aliquem interceptus fuerit, liquor ille aliorum regurgitet & quata porta effluere molliatur, ubi propter locum liberum & apertum minorem invenit resistentiam.

S. XIX.

Placet vero univcrsum negotium exemplis practi-
cis declarare, ut varia haec *repulsionis*, quae tanquam species sub *Revulsionis* ac *Derivationis* genere militat, efficacia tanto clarius adpareat. Haud incommodum fuerit a febribus intermittentibus dicendi initium facere, ubi ne plebem quidem amplius latet, quam funestum habeant exitum, si vel nimis cito cohibeantur, vel in prima, ut loquuntur, herba statim suffocentur: Observant enim largissimo proventu inde procedere non solummodo, quas barbaro vocabulo vocant febrium recidivas, & longe quidem deteriore typo, sed etiam tumores pedum crurumque oedematofos, subinde in hydropem ipsum terminatos, arthritides, heclicas, phthifes, diarrhoeas gravissimas ac contumacissimas, contracturas, paralyfes aliaque mala, ut de habitu cachectico & leucophlegmatico, qui ordinarium fere talium adfectuum praecursorium est, nihil moneam. Suntque haec damna cuncta eo praesentiora, quo remota ac sensibilia sunt subiecta, quibus ejusmodi Intempestivae febrium suppressiones administrantur. Tristis sed simul atro cartone notanda est memoria medici cujusdam Galli, qui ante complures jam annos non hic locorum tantummodo, sed per multas alias urbes ino integras regiones vicinas immania damna causatus est pulvere suo antifebrili, quem plerique augurabantur ex cortice quercino nostrate, saltem quoad primarium ingrediens constare, quem in febribus intermittentibus tertianis aequae ac quarternis ad integras successively uncias aegrotantibus devorandum praebat, & ad aliquot paroxyfinos easdem quidem feliciter, an infeliciter dicam, suspendebat, sed successu tam infido, ut natura adhuc satis vegeta vel
reci-

recidivam paterentur, vel mala febribus ipsis longe funestiora, hectica, phthifica, hydropica &c. post se relinquerent, sicuti ego Praeses novi aliquot hujus & aliarum civitatum nobiliores familias, qui perniciosum pulveris istius effectum in hunc usque diem adhuc deplorant.

§. XX.

Cortex Peruvianus & crocus martis, quem secundum eminentiam *adstringentem* vocant, eumque *aperientem* contradistinguunt, a multis etiam accusantur tanquam fabri & architecti tantorum malorum; Quod, si mitius interpretari liceat, de solo abusu intelligendum est; Quia si praemissis praemittendis adhibeantur, damna usque adeo eminentia relinquere non solent. At vero si corpori impuro & cachectico temere obrudantur, quis neget, febres talibus intempestive suppressas certo certius aliquando repullulaturas? Quoties relationes Anglicae fidem nobis fecerunt, Regnam Magnae Britanniae ex insultu febrili laborantem suatu medicorum sumpsisse dosin pulveris Chinae Chinae? Quoties etiam ex Italiae novellis percepimus, Ducem Sabaudiae ad suspendendos paraxysmos febriles, quibus per intervalla infestatur, usum fuisse pulvere Jesuitico? Nempe vix credibile foret, unum idemque subjectum tam brevi temporis intervallo toties insultibus febrilibus laborare, cum alias per totum vitae curriculum vix semel atque iterum ejusmodi febre intermittente aliquis corripitur, etiamsi sit adfectus de reliquo longe familiarior, quique pluribus de causis facilius hominem invadere solet. Tanto minus vero justam excusationem inveniunt, imo potius acerbam merentur censuram, qui talem febres curandi methodum plane ad acutas transferre non dubitant. Etiamsi enim tales bonitate Naturae adjuti pericula praesentia forte evitent, in longinquas tamen debilitationes viriumque constantes amissiones ita conjiciunt.

C

TUR

tur, ut ad pristinum vividum genium & alacritatem rarius revertantur; Ubi proinde cuilibet prudenti, aequo & perito iudici perpendendum ac dijudicandum relinquitur, annon longe praestantius fuisset, nullo potius quam tali imperito medico usum fuisse.

§ XXI.

ad *Scabiosorum* medicationem caute tractandam esse, praecipue usitatis istis artificijs externis, unguentis & linimentis repellentibus, nemo Practicorum ignorat; Cum enim talium ope Natura in spontaneis suis excretionibus plerumque perturbetur vel plane praepediatur, ipsaque materia seroso-acris corrupta critico motu ad peripheriam semel expulsa versus centrum perverse repellatur, non possunt certe nisi ingentia mala inde pullulare: Hinc alii ex scabie retropulsa observarunt abscessus circa partes externas, v. g. pone aures, alii dolores colicos, alii tumores hydropicos, alii difficultatem respirandi & angustias pectoris, alii epilepsiam diuturnam, alii coecitatem, alii ingentem tumorem brachii inflammatorium, sublividum, cum pustulis cadaverosis, alii pleuritides, hecticas, phthises &c. In studioso quodam Transylvano, externis talibus perverse tractato primum pleuritidem ac deinde phthisin succedentem observavimus, ex qua etiam in Academia Jenensi, ad quam aëris mutandi gratia sese contulerat, decessit. Nonnulli ex scabie sicca, topicis subito repulsa, & quidem, quod probe notandum, corpore adhuc impuro, decenter nondum praeparato, atrophiam lethalem, alii febrem continuam & acutam, alii ex scabie capitis in infante vel sponte interdum evanescente vel imprudenti artificio suppressa, dolores capitis ac dentium, ophthalmiam, aphthas, tumores & ulcera pone aures, tusses violentas, imo plane carcinum suffocativum, tabem, epilepsiam, convulsionem ipsamque mortem adnotarunt. Ut proinde temerarium sit consilium, Naturam evacuationi humorum inten-

tam

tam in opere suo, sine dubio in salutem corporis suscepto praepedire.

§. XXII.

Qualis vero est conditio defoedationum cutanearum universalium, si intempestive supprimantur? Talis etiam est illarum, magis particularium? Ita *achores capitis* infantum, audax & imperitum vulgus lorionibus capitis frigidis & adstringentibus vel linimentis unctuosiss, partim etiam sulphureis ex sulphure vulgari paratis tractare solet, eoque ipso in aliis ophthalmias gravissimas, in epiphoram imo guttam serenam interdum transeuntes, in aliis asthmata, non facile domanda, in aliis plane convulsiones epilepticas excitare. Licet enim infelicem talium Oleosarum & pinguium inunctionum videntur quotidie imperiti medicastri & mulierculae. Vix tamen a temerariis talibus ausibus avocari sese patiuntur, specioso quippe praetextu subnixi, nempe crusta talis ablata nidum simul & semel auferri pediculis. Ast cum provida Mater, natura, Hippocrate id optime adnotante, ejusmodi foedam crustam scabiosam, e conversum eliminat, ut tenellum infantile corpus ab epilepticiis convulsionibus praeservetur. Quid aliud hoc est, quam in summum (et in evitabile vitae discrimen infantem) cotijicere, temeraria tali ejusmodi impuratum versus interiora repulsione.

§. XXIII. Et sicuti scabiem retrogradam non levia mala consequuntur, Ita quoque variolas repulsas non minora damna excipiunt. Quid frigus externum improvide admissum in variolarum repulsione faciat, in vulgus notum est. Notari vero omni modo meretur, quod variolae sibi relictae & perveris artificis non turbatae, ut plurimum satis placide circa diem quartum erumpere soleant, imo & succedens pustularum suppuratio, exsiccatio & lapsus absque operoso topicorum concursu artificiali re-

diffime procedant : Hac vero spontanea veluti medicatione, dextre licet succedente, non contentae mulierculae; de filiarum suarum venustate ejusque tanquam incomparabilis thesauri conservatione anxie sollicitae, alienis artificibus indulgent, quibus tamen nihil efficiunt aliud; quam ut miseras puellas in summum vitae discrimen adducant. Hujus v. g. generis sunt larvae lardo interius obductae (Spect. Varven), quibus totam faciem contegere solent; Et certum quidem est, quod vario-lae, pessime licet faciem defocdantes, talibus larvis prompte repellantur & facies nitida, sicuti antea, adpareat: Sed anguem sub herba latere, symptomata, mox insequentia, summa; nempe respirandi difficultas, febris ardens cum delirio &c. manifestant. Aliae oleum nucum juglandium faciei inungere solent, praeservaturae etiam hoc modo eandem a foveis, quae relinquuntur, si suppuratione profundiores agat radices, facta nempe talium oleo-
forum frequente inunctione, sed infausito pariter eventu.

§ XXIV.

Nonnullis pro eodem scopo impetrando placet consilium immittendi pedes vel lacti bubulo calido vel balneo ex herbis emollientibus parato, & quidem ipsi eruptionis variolarum tempore; Credunt enim, laxatis hoc modo partibus inferioribus eo fortiorem materiae variolarum fieri revulsionem a superioribus. Et quamvis nec ratio nec experientia huic experimento contrahentur: Observarunt tamen solertiores Practici, a nimia variolarum copia in artubus inferioribus erumpente diuturnam pedum debilitatem relinquere. An vero variolarum proventus in toto corpore ita suspendi possit artificio medico, ut nunquam per totam vitam erumpant, vel propterea maxime dubium videtur, quod morbus usque adeo universalis sit, ut inter aliquot millia infantum vix unus vel alter deprehendatur, qui per totam vitae suae curriculum ab eodem vivat immunis. Cae-
torum

terum si variolarum retrocessioni quocunque tandem modo ansa subministretur, nunquam impune hoc fieri, praetici a posteriori fati perspectum habent; Alii enim convulsiones lethales, alii abscessum thoracis, rursus alii phthisin lethalem, alii paralyfin universalem, alii particularem tantum, v. g. aphoniam, alii respirandi difficultatem cum tussi ac diuturna rauedine, alii plane subitanam mortem observarunt.

§. XXV.

Petechiae in febribus *exanthematicis* vel sponte evanescentes vel admisso frigore externo vel potu frigido copiosius hausto vel alio perverso regimine retropullae, non quidem tunestae semper sunt, sed tamen magnis cum anxietatibus praecordiorum stipatae, donec de novo erumpant. Quare ab omnibus his artificiis sive externis sive internis, quibus retrocessioni talium *exanthematum* ansa subministratur, sedulo abstinendum. Quo intuitu venaesectio, quocunque demum tempore imprimis vero circa dies criticos administrata, ubi nempe materia ad secretionem & excretionem disponitur, functum habet exitum, quia peripheriam corporis constringendo excretiones diaphnoicas sistit, imo petechiales maculas jam conspicuas ad recessionem versus interiora disponit, sicuti etiam post venaesectionis administrationem haud raro disparere observantur. Nescio proinde, an tantopere improbanda sit nonnullorum Indorum consuetudo, qui in ejusmodi aegrorantibus, *exanthematicis* erumpentibus, lecto concreditis, bacillo aromatico ignito singulas maculas adurunt, impeditur hoc modo non solum copiosum talis materiae ad superficiem cutis adfluxum sed etiam retrocessionis tam praecipuum periculum hoc artificio praecoccupatur. Geminum huic experimentum etiam in Italia adornari fuisse in variolarum retrocessione praecavenda, dum laminas ferreas ignitas eminus corpori admovent, promoventes hoc mo-

do non tantum faciliorem variolarum eruptionem & praepedientes earundem regressum, sed & post sufficientem maturationem simul promptiorem exsiccationem obtinentes, quo ipso simul folliculae profundiores, faciem saepe enormiter defoedantes evitantur.

§. XXVI.

Multo minus incongruam talem Repulsionem arte excitatam ferunt *Bubones maligni pestilenciales*; quia naturae minister non decet, inimicum, quem illa egerit, id quod motibus criticis contingere solet, denuo ad interiora repellere, imo potius officio eius longe convenientius est, venenum pestilenciale ita per crissum ad locum hunc ignobiliorem, nempe glandulas inguinales eiectionem, ut nempe tanta cum saevitia in massam humorum vel vicera interiora non amplius grassari istamque corruptionem minari queat, ad eum, quem natura quaerit & intendit, exitum plene deducere. Interim qui constitutionibus talibus pestilencialibus interfuerunt Practici, fatentur quidem, bubones minus alere periculi carbunculis vel furunculis; attamen simul observarunt, bubonibus ad interiora recedentibus summo in periculo versari aegrotantes, nisi aliorum humorum malignum pestilenciam natura amandaverit. Proinde vesicatorium buboni admovendum nonnulli commendant, ut materiae retrocessio versus interiora hoc modo praecaveatur.

§. XXVII.

Eadem est ratio *parotidum*, in quibus pari modo ab omni repellentium usu abstinendum est, ne scilicet, quod natura ad circumferentiam a centro semel ablegavit, cum enormi totius oeconomicae vitalis turbatione ad interiora remeet, vel regressum tentet, vel si etiam contingat, parotides, quae modo adparuerunt, subito & sponte quidem evanescere, subinde tamen reverti ac denuo disparere, res est periculi plenissima vel plane funestum

neſtum portendit eventum, ſi dolorem faucium cum de-
glutiendi difficultate moveant parotides. Reliquae mira-
biles humorum meſtaſes, in criticis praecipue acu-
torum ſolutionibus fieri ſolitae, vti ſunt decubitus & ab-
ſceſſiones, eryſipelata, maculae, tumores & dolores co-
xendicum, carbunculi & furunculi &c. eandem tractan-
di circumſpectionem requirunt, ne ad retroceſſionem
adactae tales translationes novo furore interiora adgre-
diantur, tandemque tragicum & funeſtum exitum poſt
ſe trahant.

§. XXVIII.

Tumorum repulſio verſus interiora tam periculo-
ſa eſt, ut plerumque ſimilem, nempe funeſtum fortitur
eventum, talium praecipue, qui ex critica in febris
acutis depulſione & exoneratione verſus aliquam partem
corporis periphericam initia ſua habuere. Quamvis
enim ejuſmodi Practici omnino bonam habeant inten-
tionem, nempe materiam eo translataſſa diſſipandi, re-
ſolvendi, diſcutiendi & ad exhalationem diſponendi: at-
tamen ejuſmodi tentamina diſcuſſoria non ſemper ſpe-
ratum habent ſucceſſum, ſed ſubinde diſcuſſi verſus in-
teriora vergunt, ſicque febrem de novo accerſunt, dene-
gata nempe exhalatione extra peripheriam corporis,
quam diſcuſſorii ſuis artiſticiis intendebant.

§. XXIX.

Eryſipelas quidem tumor eſt per ſolam latitudinem
ſeſe diſſundens & ſolam tantum cuticulam cutemque
adſciens, ſed aequae frigidorum, unctuoſo oleoſorum
adſtringentium ac repellentium adplicationem aegre
fert. Obſervatum fuit ex *eryſipelate* pedis ſiniſtre tracta-
to ulcus annoſum ſola pedis amputatione curandum.
In nonnullis ex ejuſmodi *tumoribus eryſipelaceis* temere
retropulſis oriuntur phrenitides, in aliis tumores angu-
nodes, in aliis paralytodes, in aliis vero oedematofi.
Nos ex *eryſipelate* pedis, emplaſtris per imperitiam chi-
rur-

rurgi perverse tractato gangraenam ejusdem horrendam cum enormi tumore observavimus, in proxima proclivitate constitutam in sphacelum transeundi, nisi optimorum medicamentorum usu tempestive repressa & inhibita fuisset. Foemina quaedam post adplicatam aquam frigidam in *erysipelate* faciei primum delirium ac deinde mortem ipsam sibi conciliavit. Vir alius nobilis *erysipelate* faciei adfectus, eoque in statu temperie aeris frigidiore iter faciens, primum vertiginem, ac deinde paralyin linguae passus est. Alii alia viderunt pathemata.

§. XXX.

De tumoribus *Oedematosis* pedum, quorum etiam refractaria & pertinax indoles est, notissimam vulgus observationem habet, quod noctu inter dormiendum, stragulis nempe calidioribus coopertis cruribus, serum ad interiora remeare vel regurgitare soleat, quo ipso non solum difficilem respirationem & tussim vehementer incurrunt ejusmodi aegrotantes, sed & mane insequente crura cum pedibus longe graciliora observant, tumore tamen in situ corporis erecto atque perpendiculari mox revertente. Tanto magis autem periculosis adfectibus porta aperitur, si externis in concinnis striculis ejusmodi tumorum oedematoforum regurgitationi occasio subministratur, nisi singulari naturae subsidio vel artificio medico serum ad antiqua loca derivatum denuo restagnet, & oedematum ortui nova fundamenta struat.

§. XXXI.

Ulcerum diuturnorum, manantium, quaeque fontanellarum artificialium instar sese habent, subitaneae suppressiones & occlusiones non possunt non damnosissimae esse. Ego Praeses in puella adultiore ex ulcere pedis non admodum verusto, attamen ab imprudente chirurgo nimis cito consolidato gravissimam inflammationem

tionem uvulae et hac negligentius tractata ejusdem ab-
cessum totalemque tandem corruptionem & absum-
ptionem vidi. Unde non dubitavi a suspicione luis ve-
nerae, ab aliis causam hanc ignorantibus vel non atten-
dentibus male ipsi impurato eandem penitus absolvere.
Alii post praecipitatum talium ulcerum manantium oc-
clusionem in dolores capitis vehementissimos tandemque
coecitatem ipsam inciderunt; Alii dysenteriam lethale-
m, alii epilepsiam, alii paralyfin & apoplexiam obser-
varunt. Nec deficiunt aliae observationes, atrocissimas
cephalalgias, scoromias, vertigines, mentis alienationes,
in aliis gangraenam & sphacelum brachii, in nonnullis
tuum ac tabem exitiales, sputum ac vomitum sanguinis,
haemorrhagiam intestinale lethalem, ulcera tonsillarum
lethalia & plura alia mala, talem intempestivam ulcerum
vetustorum consolidationem consequentia memorantes.
Nam cum tandem natura horum sordidorum humorum
evacuacioni per hasce vias adfuescat, eandem vero pro-
pter locum oclusum non amplius prosequi queat; Fi-
unt tandem humorum serosorum pravorum atque cor-
ruptorum regurgitationes & restagnationes circa vici-
nas vel distitas imo saepe oppositas partes, sicuti exem-
pla modo adlata haud obscure probant.

S. XXXII.

Ex eodem fundamento fontanellarum artificialium
facilem ac temerariam quamvis occlusionem non
omni ex parte tutam semper judicaverim. Observavi
aliquoties & nuperrime adhuc in puero 13. annorum, qui
a primis pueritiae suae annis pro sublevanda vehemen-
tissima fluxione serosa versus oculos indeque orta oph-
thalmia gravissima fonticulum gestavit, quod, cum per a-
liquot septimanas negligentius fontanellam tractasset,
hincque spontaneae ejusdem occlusioni ansam dedisset,
ophthalmiam valde horrendam cum perpetuo lacryma-
rum sillicidio sibi contraxerit, ut oculos vix aperire
austus

ausus fuerit, a qua tamen praefens perferens levamen, potestaequam non solum vesicatoria nuchae applicata, sed etiam fonticulo de novo aperto pristina fluxionem materia seroso-acris repetiit. Ephemerides N. C. exemplum habent mercatoris cujusdam Thorunensis, qui medico suo aliquoties enarravit, sese dolores leviores percipere, quotiescunque fonticuli, quorum alterum in brachio, alterum in femore gestabat, plurimum humoris funderent, majores vero & exquisitiores, cum paucum vel nullum. Cui etiam adjungendum alterum illud, quod eodem loco exhibetur, nempe civis cujusdam Thorunensis, qui per integros octodecim annos maximum capitis dolorem cum quodam ardore tum ipsius capitum tum etiam scapularum sine intermissione experiebatur, per fontanellam in nucha excitatam a dolore & ardore isto liberatus est, toties tamen dolores istos e postliminio veluti reversos esse perferens, quoties ex negligentia istud ulcusculum consolidaretur, qui tamen eodem rursus aperto denuo evanuerunt.

§. XXXIII.

Quam incaute sudores largius profluentes ipso emanationis actu cohibeantur, ingentibus suis damnis & periculis plurimi aegrorantium didicerunt. Paulinus contracturam universalem admodum dolorificam inde observavit in futore, qui consilio & suasu barbitonforis peripheriam corporis mane ferique succo sempervivum unxerat. Ordinarium vero ejusmodi temerarium adstrictionum consequens sunt tumores oedematosi, interdum etiam duri atque scirrhusi; Unde pessime omnino sanitati suae consulunt, qui balneo egressi statim vel frigido aëri sese exponunt vel cerevisiam pane intritam avidè deglutiunt vel potum frigidiorum calentibus visceribus majori in copia simul & semel adfundunt: Tales enim subitaneae pororum & meatuum constipationes sudorumque simultaneae suppressiones non possunt nisi

nisi summis periculis tales homines exponere. Inde etiam temerarium est consilium illorum, qui aestibus febrilibus corpus excruciantibus manus, pedes vel totum corpus frigidae committunt. Neque enim pro norma inservire aliis potest casus plane singularis, cujus *Hammannus* in *Ephemeridibus N. C.* mentionem facit, nempe viri cujusdam febre ardente laborantis, qui corpus denudatum lodici in aquam frigidam intincto involvit, & adsumpto cyatho spiritus vini pristinam sanitatem recuperavit. Quis enim insanam talem temeritatem impune imitaretur? Si unus extraordinaria tali medendi methodo conservatur, mille alii eadem interea peribunt.

§. XXXIV.

Quoad sudores pedum *particulares* admodum foetentes, ad quos nonnulli specifica dispositione inclinant, negandum quidem non est, quod talibus, quibus jugiter succedunt, admodum solutares sint, etiamsi nares adstantium graviter feriant & hinc in conversatione civili haud levem pariant molestiam; Ad quam evitandam puellae imprimis, ut hospitibus & prociis gratiores sese reddant, vel soleas calceorum vel tibialium pulveribus aridis, resiccantibus, exundationem nimiam serosam reprimunt, uno verbo adstringentibus et repellentibus conspergere solent; Quo quidem medio feliciter, an infeliciter dicam, ejusmodi exundationem circa plantas pedum reprimunt & suspendunt, sed eo ipso colorem faciei leucophlegmaticum, spirandi difficultatem aliaque graviora pathemata certo certius accersunt, non prius tollenda, quam si sudorum talium exundationi versus inferiora denuo via aperiatur.

§. XXXV.

Possent haec omnia, si necessarium esset, copiosiori exemplorum numero illustrari, & specialiter ostendi, quot quantaque incommoda imo damna manifesta inducantur ex importunis cohibitionibus haemorrhagiarum,

rum, narium, pectoralis, vomitus & mictus cruenti, fluxus uterini menstrui aequae ac lochialis, fluoris itidem albi in foemellis, tam maritatis quam non maritatis, defectionumque alvi tam criticarum quam morbosarum; Nihil vero iuvat in re clara esse prolixiores; Verbulum tantum adjicimus adhuc de *intercipientibus*, famosis veterum *revellentibus*, quae arduissimam cum repellentibus habent adfinitatem: his enim denotabant talia instrumenta, quae humorum e longinquo accedentium & ad aliquam partem celeriori passu tendentium motum intercipiunt, avertunt & sic *revulsionem* efficaciter praestant, cujus generis duo potissimum instrumenta depraedicabant veteres, nempe ligaturas seu fascias & medicamenta acida, austera, styptica. Quod fascias attinet atque ligaturas, illas extremis brachiorum, pedum, digitorumque injicere, interdum supra cubitos & humeros, supra talos & genua adplicare solebant, in impetuosiore haemorrhagia vel forti congestione humorum ad evacuationem destinatorum, credentes, se hoc medio motum sanguinis vel aliorum humorum intercepturos & a parte, ad quam tendunt, avertiros esse: Mihi vero istud antiquorum consilium prorsus irrationale simulque inutile esse videtur: Nam si haemorrhagia v.g. narium ab orgasmo sanguinis originem suam habeat, constrictiones istae fortiores per ligaturam fluxionem non sistent sed ferociorem reddent, atque adeo aequae imprudens ac stolidum fuerit illorum consilium atque eorum, qui musti vel cerevisiae recenter fermentantis impetum retundere & suppressere moliantur, orificio vasis obturato: Sanguinis enim orgasmo non cohibito, ridiculum est exitum ejusdem, vasis tantum contractis, remorari velle.

§. XXXVI.

Sicuti autem, actualiter constringendo vasa atque meatus, operantur ligaturae & fasciae: Ita potentialem eorum constrictionem procurando, topica acida, austera &

& styptica suos edunt effectus, nuchae, fronti, bregmati, hypochondriis, testiculis, sub axillis, plantis pedum aliisque partibus immediate admovenda; Quod revulsionis genus et si frequentissima experientia teste saepius enormes inhibeat haemorrhagias, tanto minus tamen ad plausum meretur, quod intempestivas tales sanguinis suppressiones longe majora mala certo certius consequantur. Interim certitudinem ac veritatem virtutis *revulsoriae*, si quae ulla alia *revulsionum* instrumenta, efficaciter demonstrant, licet nemini suavor vel auctor existam, ut veterum ista artificia temere imitetur, sicuti jam supra animadvertum est.

§. XXXVII.

Quae omnia cum clara satis atque perspicua sint, his prolixius recensendis non immorabimur, sed pedem potius promovebimus ad eam *revulsionis* & *derivativis* speciem, quae, ingenti exemplorum numero id confirmante, fit a partibus interioribus versus exteriores. Sicuti enim naturae harum rerum admodum est conveniens, nimiae partium fibrosarum stricturae seu adstrictioni opponi earundem laxitatem seu relaxationem; ita etiam effectus plane oppositos inde observare contingit: nam dum fibrosas cutis partes emolliunt atque relaxant, eo ipso majorem humorum adfluxum et influxum causantur, sicque insigni *derivandi* ac *revellendi* efficacia sese produnt. Pertinent huc omnia veterum exercitia, balnea tam universalia quam particularia, femicupia, foci, epithemata, cataplasmata linimenta, inunctiones, vesicae bubulae, decoctis vegetabilium calidis repletae, viscera animalium recenter enteratorum et adhuc calentium, quae in spasmodicis nephriticorum circa interiora magis versantibus demulcendis non contemnenda pollent efficacia.

§. XXXIIX.

Vis *frictionum* imprimis in peripheria corporis insti-

inficiturarum hoc nomine laudatissima est : Aegyptii, teste *Alpino* Lib. IV. de medicina Aegyptiorum, eandem summis extollunt laudibus in provocandis et ab interioribus versus exteriora exanthematicarum et pestilentialium; quem eundem in finem etiam in bubonibus malignis, eminus a nonnullis admoventur ferramenta candentia, ut retrocessioni materiae versus interiora ansa praescindatur. *Asclepiades* frictionum usum valde commendabat in hydrope, potissimum anasarca, eo procul dubio sine, ut pori in habitu corporis constricti referantur ferique ibidem restagnantis discussio per transpirationem promoveretur. Paulo asperioribus vero frictionibus idem tractabat phreneticos, ut sanguine aequabilis per univrsum corpus distributo placidiorem somnum (*Agrypnia* enim molestissimum phreneticorum symptoma est) conciliaret phreneticis. Et singularem denique frictionum energiam derivatoriam depraedicant mulierculae, duritiae imprimis mammillarum laborantes : Subtiliore enim excutia, mit einem subtilen Sammet, Bürstgen, mollior fricantes exteriorum mammillarum peripheriam, non solummodo rigidam earundem duritiam pedetentim imminui, sed et copiosorem lactis adfluxum inde promoveri persenscunt.

§. XXXIX.

Neque minus celebriam revellendi quam derivandi virtute conspicua remedia antiquis depraedicata sunt *Vesicatoria*, quamvis praepostera ratiocinantium curiositas tam suspecta, irrationalia, infamia et crudelia illa reddiderit, ut a multis carnifice potius quam rationali medico digna et tanquam inutilia tormenta judicentur. Rectius vero *Wedelius*, *Baglivus* aliique, qui naturae potius quam hypothesis receptarum vestigia sequuti sunt, senserunt, summamque *vesicantium* in praxi clinica utilitatem vix satis extollere possunt, in affectibus oculorum,

rum, aurium, dentium &c. Ita v. g. in hemicrania, cephalaea, ophthalmia inveterata imo et suffusione, adfectibusque soporosis nuchae seu cervici non sine fiducia sperati succellus applicare solent *vesicatoria*, ad humorum acrium serosorum revulsionem a partibus capitis nobilioribus ad ignobiliorem praestandam; quamvis, uti in omni fere reliquorum remediorum, utut in sese optimorum adplicatione plerumque fieri natum est, suos interdum patiantur manes, atque nulla temperiei, aetatis, loci, causarum aliarumque circumstantiarum circumspeta ratione habita, effectus interdum valde heteroclitos producant: Ita *Baglivus histor. 3. diss. de us. et abus. vesicantium*, in muliere juvene ac gracili, doloribus post partum cum insigni ventris tensione gravissime divexata, observavit, quod ex adplicatione quatuor vesicantium, quae medicus eidem ordinaverat, suppressionem lochiorum antea debite fluentium passa fuerit. Similiter animadvertit, quod alvus, antea nimium fluens, mox post vesicatorii adplicationem suppressa ac constipata fuerit. Et peculiari sane animadversione dignum est, quod ulterius sese observasse scribit in pleuritide, sicuti loco allegato pluribus legere licet.

Quod vero *derivatoriam vesicantium energiam* atinet, multiplicia Practicorum experimenta hic quoque prostant eandem confirmantia. *Rondelenus* ad arthritidem fixam commendat *vesicatorium*, parti adfectae immediate adplicandum, non alio nisi *derivandi* fine, quia evacuata materia dolorem sedari observavit. *Wedelius* idem probatissimum dolorum ischiadicorum remedium esse, et reliquis omnibus frustra adhibitis, ab hoc solo haud dubium repetiisse levamen, candide adfirmat. *Variolas* retroecedentes nihil potentius revocat quam *vesicantium* adplicatio; idem observatur effectus, quoties in morbillis defluxio metuitur in pulmones; Efficaciter enim

enim materiam revocare *vesicantia* cervici admota, Practicis satis compertum est. Eundem in finem *Riverius* exanthemata in febribus malignis et pestilentialibus retrocedentia *vesicatoriorum* ope revocare suadet etc.

§. XLI.

Plura hac vice non adjicio, potissimum de divergentibus particularibus, ne in majorem molem excreseat dissertatio; Converto me potius ad alterum thematici mei membrum, paucis adhuc ostensurus diversas operandi rationes remediorum, quae vel *revulsoria* vel *derivatoria* virtute pollere creduntur. Quamvis enim non aequae absoluta necessitas efflagitare videatur, ut, ubi, cumque *to ori*, seu res ipsa satis nota est, in *modos fiendi* etiam operose inquiratur: attamen, ut os obiretur contradicentibus, illisque clare demonstretur, nec ipso rationis suffragio rerum harum deductionem a priori destitui, nec proinde quicquam illos habere, quod jure obijciant, operae omnino pretium fore judicavimus, si etiam *to dicti* horum remediorum paucis delineemus.

§. XLII.

Quod itaque primam eorundem classem, a regione corporis superiore versus inferiorem, vel vice versa, effectum suum exerentium, attinet, nempe unde ingens illa differentia et diversa penitus energia missionum sanguinis, si diverso habito respectu vel in *pedibus* vel in *brachiis* administrata fuerit, et quidem venaeffectio in *pede* adornata insigni polleat energia in restituendis menstruis mulierum per aliena loca exitum adfectantibus, et ad emunctorium suum naturale reuocandis, haec vero in brachio instituta tempore menstruorum actu fluentium, vel cum evidente illius fluxus imminutione vel pertinaci ejusdem suppressione conjuncta sit: manifestum utique est, non ab universali illa sanguinis evacuatione seu depletione solum, verum potius a speciali moderatione toni parti-

partium fibrosarum, sanguinis motum specificè dirigen-
tis et ad hæc specialia loca determinantis diversitatem
istam dependere: Nam dum per V. S. in artubus infe-
rioribus administratam liberiori sanguinis exitui seu
eruptioni porta veluti laxius aperitur, quid certius est,
quam sanguinem eo versus redundaturum, ubi non so-
lum nullam invenit resistantiam, sed liberrimum potius
egressum, reliquo interim parcius distributo per par-
tes corporis superiores eo tempore strictiores. Cuius
rei plane contrarium fieri debere, si tempore menstru-
um actu manantium V. S. in brachiis adornetur, sim-
plicissimis mechanico-hydraulicis legibus admodum est
conveniens.

§. XLIII.

Quare vero variolarum copiosiorum in facie eru-
ptionem præoccupent pediluvia vel fomenta calidiora
plantis pedum admota, inde est, quod fibras partium infe-
riorum emolliendo ac relaxando aequabiliorem sanguinis
distributionem et sub hac liberiore materiae variola-
eae excussione in inferioribus excitent.

§. XLIV.

Ad secundam classẽ referimus illa *Diversions*
instrumenta, quae vel sensum frigiditatis partibus indu-
cendo, vel universalem corporis habitum periphericum
aut saltem particulare aliquod viscus constringendo re-
pulsionem ac regurgitationem humorum a circumferentia
versus centrum occasionem suppeditant. Ad *priorem*
ordinem, eorum nempe, quae ex sensu frigidi operantur,
sequentia pertinent phaenomena, nempe, quod statim
horrorem quendam, totam corporis superficiem percur-
santem sentiant, qui corpus a calore persusum in lo-
cum frigidiusculum transferunt, vel indusium novum
frigidiusculum in eodem statu induunt & cum madido
transmutant; quod potus gelidus calentibus visceribus
adfusus vel inflammationem visceris cujusdam vel hydro-
pem subito producat; quod lintæamina aqua frigida ma-

dentia, nuchae, collo, testiculis, mammis vel hypochondrio dextro admota, haemorrhagiam narium subito fiunt, sed consecraria haud raro funesta post se trahant &c. Haec enim omnia ac singula, sicuti ex phaenomenis ipsis manifestum est, non alia ratione, quam sensum frigiditatis & horroris & consequenter constrictionem tonicam inducendo, operationes suas exerunt.

§ XLV. Ad *posterio*rem vero ordinem pertinet tota adstringentium cohors cum omni finestissimorum consecratorum, quae producunt, caterva, v. g. quod febres intermittentes in prima statim herba, corpore sufficienter nondum expurgato, suffocatae, raro bonum habeant exitum, quod scabies tam universalis quam particularis nunquam impune retropellatur, quod maculae petechiales in febribus exanthematicis vel sponte evanescentes vel per verso admissio regimine retrocedentes, vel denuo erumpant, vel anxietatibus praecordiorum adficiant aegrotantes; Quod tumores ex translatione critica oriundi, erysipelas, bubones, parorides, carbunculi, furunculi &c. nunquam impune repellantur; Quod ulcera diuturna, manantia, quibus natura semel adluevit sine periculo raro claudantur &c. Adficitur enim in omnibus hisce casibus subtilis partium fibrosarum tonus, dum vel universam partium cutanearum peripheriam vel saltem singularem quandam partem constringit, ita nempe, ut subtiles pori, meatus & interstitia inter contextum istum fibrosum existentia, liberiori humorum comaeatui alias aditum & transitum concedentia, nunc constringantur, condensentur, in arctius spatium cogantur, atque adeo liberior humorum transfusus simul impediatur & interceptiatur, sed etiam ipsa vascula sanguinea tam arteriosa quam venosa eorumque subtilissimae ramificationes eadem strictura ita occupentur, ut per arterias eo modo undiquaque secundum omnem dimensionem constrictas parum sanguinis adfluat, per venas vero id, quod adfluxit, promptissime versus vasa capaciora repellatur. Ut adeo talia ad-

fici-

frictionum ac repulsionum instrumenta motum sanguinis & interfluentis feri ratione manifesto mechanica regant atque determinent, non solummodo quamdiu intra canellos subtilium suorum vasculorum adhuc concluduntur, sed etiam, quando per substantiam partium poroso-fibrosarum actu diffunduntur.

§. XLVI. *Intercipientia* quod spectat, quae nempe ipsam partem adfectam veluti muniunt et firmant contra humorum irruentium impetum, vel eorundem motum ad tempus suspendunt & intercipiunt, ne in partem adfectam irruere queant, illa agunt vel partem *actualiter* constringendo, uti fit in ligaturis et fasciacionibus partibus injectis vel *potentialiter* eandem coarctando & peculiarem sensus alterationem inducendo, cui imprimis effectui praestando subserviunt topica acida, austera est styptica, quae vehementem, ipsis quoque sensibus manifestam, constrictionem partibus fibrosis inducunt. Sicuti autem priora illa, teste experientia, quam saepissime in irritum cadunt: Ita posteriora illa in super haud raro cum praesentissimis incommodis imo damnis sunt conjuncta.

XLVII. Neque porro obscurus est modus agendi balneorum tam universalium quam particularium, fotuum v. g. cataplasmatum, epithematum &c. quia fibras in habitu corporis exterioris emolliendo & relaxando humorum influxum & adfluxum *ab interioribus versus exteriora* procurant. *Friciones* e contra sive leniores sive asperiores sensum vel acriorem vel remissorem inducendo, congestionem, adfluxum & redundantiam humorum ad partem hoc modo irritatam excitant.

§. XLIX. Id quod potentius adhuc praestant *Vesicatoria*, ex pulvere v. g. cantharidum cum fermento panis, terebinthina &c. composita & in emplastri vel cataplasmatum formam redacta; Haec enim vi salium suorum causticorum habent potentiam vehementer irritandi ac simulandi contextum fibrosam partium, quibus impo-

nuntur, eoque ipso validiorem membranarum & muscu-
lorum contractionem in partibus etiam remotioribus ex-
citandi & per consequens ipsum quoque motum humo-
rum intra vasa sua fluentium urgendi, premendi imo &
exprimendi versus emissarium seu locum, ubi vesicatori-
um excitatum est, & ubi nunc liberum inveniunt exitum:
Ubiunque enim cutis & membranae fortiter stimulantur,
ibi proritatur dolor, ubi vero dolor, ibi & humorum tibe-
rior contingit adfluxus, imo et qua data porta effluxus:
Id quod in rheumatismo narium nimis quam manifestum
est, ubi a vi errhinorum brevi temporis intervallo tan-
tum humorum seroso mucidorum copiam excerni vid-
mus, ut omnem fere admirationem superet.

§. XLIX. Underationi adversum non est, *revulsio-
nis vel derivationis* gratia *vesicatorium* adplicare parti ab-
earemotae, in qua vel majorem humorum adfluxum me-
ruimus, vel in quam talis humorum decubitus jam actus
factus est, v.g. cervici vel nuchae in ophthalmia, cepha-
laea, hemierania ipsisque morbis soporosis: Quia vesi-
catorium nuchae admotum cutem membranisque vehe-
menter irritando, totum ejus regionis ambitum vehe-
menter contrahit, ipsamque fluidorum motum admo-
dum urget & premit versus locum vesicantis apertum,
ubi proinde evacuatur & excernitur, atque adeo partes
adfectae materia peccante liberatae, praesentissimum in-
de solatium accipiunt, sicuti exempla Practica superius
allegata pluribus confirmant.

§. L. Ex quibus omnibus tandem clare colligere licet, hanc veterum
DIVERSIONEM per *revellentia* ac *derivantia* ipso rationis patrocinio
a priori non destitui, sed uti negotium ipsum a posteriori plurimis exem-
plis practicis satis perspicue ob oculos positum est, ita simul mechanica
operandi ratio tam evidenter declarata est, ut omnibus, quae moveri solent,
objectionibus & difficultatibus facile satisfieri queat. Obsignamus igitur
nostram tractationem gravissimo effato Clarissimi Bohrii: Nempae
*remedia haec in praxi conservanda, eorum vero theoriam rite explicandam
esse.* Quae sincera confessio sicuti a candido Senae profecta est: Ita ego sal-
tem adhuc optarem, ut omnes reliqui, quibus scepticos argumentorum
vulgo adferri solitorum splendor oculos perstrinxit, ad medicum tam gravis
atque celebris exemplum, veritati tandem aures praerent, atque remedia
tam famosi, per universam fere praxin sese diffundentis utilitatem,
sepositis praepudiciis, mecum agnoscerent,

F I N I S.

ULB Halle
003 140 849

3



TA-FL





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
DE

1712 90
**VERITATE PRACTICA
DIVERSIONI
VETERVM PER REVELLEN-
TIA AC DERIVANTIA,
EORVMQVE
OPERANDI RATIONE
MECHANICA.**

QUAM
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
'SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN. FRIDERICO WILHELMO
PRINCIPE PORVSSIAE MARCHIONE BRANDENB.
&c. &c

IN REGIA FRIDERICIANA
Gratiosissimo Facultatis Medicae Consensu,
PRO - PRAESIDE
DN. ANDR. OTTOM. GOELICKE
MED. DOCTORE ET PROF. PVBL. EXTRAORDINARIO,
PRO GRADV DOCTORALI,
SVMNISQVE IN ARTE MEDICA HONORIBVS, INSIGNIBVS AC
PRIVILEGIIS MORE MAJORVM SOLENNI OBTINENDIS

Ad Diem XIV. Octobr. M. DCC. XII.
HORIS ANTE ET POMERIDIANIS
PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBJICIET,
ANDREAS SCHOPPEL,
Corona-Transylvanus.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
Typis JOHANNIS CHRISTIANI ZAHNII, Acad. Typogr.

Centimetres

Inches

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

Farbkarte #13

B.I.G.